

VERSION LATINE

Le règne de Numa Pompilius

Qui ut huc uenit¹, quamquam populus curiatis eum comitiis regem esse iusserat, tamen ipse de suo imperio curiatam legem tulit, hominesque Romanos instituto Romuli bellicis studiis ut uidit incensos, existimauit eos paulum ab illa consuetudine esse reuocandos.

Ac primum agros quos bello Romulus ceperat diuisit uiritim ciuibus, docuitque sine depopulatione atque praeda posse eos colendis agris abundare commodis omnibus, amoremque eis otii et pacis iniecit, quibus facillime iustitia et fides conualescit et quorum patrocinio maxime cultus agrorum perceptioque frugum defenditur. Idemque Pompilius et auspiciis maioribus inuentis ad pristinum numerum duo augures addidit, et sacris e principum numero pontifices quinque praefecit, et animos propositis legibus his quas in monumentis habemus ardentes consuetudine et cupiditate bellandi religionum caerimoniis mitigauit, adiunxitque praeterea flamines, Salios uirginesque Vestales, omnesque partes religionis statuit sanctissime. Sacrorum autem ipsorum diligentiam difficilem, apparatum perfacilem esse uoluit ; nam quae perdiscenda quaeque obseruanda essent, multa constituit, sed ea sine impensa. Sic religionibus colendis operam addidit, sumptum remouit, idemque mercatus, ludos omnesque conueniendi causas et celebritates inuenit. Quibus rebus institutis ad humanitatem atque mansuetudinem reuocauit animos hominum studiis bellandi iam inmanes ac feros. Sic ille, cum undequadraginta annos summa in pace concordiaque regnauisset (sequamur enim potissimum Polybium² nostrum, quo nemo fuit in exquirendis temporibus diligentior), excessit e uita, duabus praeclarissimis ad diuturnitatem rei publicae rebus confirmatis, religione atque clementia.

Cicéron, *La République*

¹ Qui renvoie à Numa Pompilius. *Huc* : adverbe de lieu désignant Rome.

² Polybe : homme politique et historien grec du II^e s. av. J.-C.